

P R Æ F A T I O

Hæc autem non eo animo à me dicuntur, ut operam τῆ μακαρίτη tanquam inanem elevem; (id enim si facerem, mea ipsemet vineta cæderem) sed potius immortales ei gratias habendas esse censeo, quod accuratâ diligentia suâ effecerit, ut omnibus nunc apparere possit, discrepantiam Codicum MSS. *Novi Testamenti* longè minoris esse momenti, quam non solum homines erga S. Scripturam male animati ante jactaverant, sed etiam multi forsan ex iis, qui bene de religione sentirent, sibi persuaferant. Quare illi, qui τῆ μακαρίτη religiosam illam diligentiam, quam in ipsis etiam minutiis colligendis & persequendis adhibuit, vitio vertunt, caveant ne imprudentiæ vel malignitatis notam incurrant, dum id ipsum, quod in laude ponendum erat, in vituperium convertunt.

Ut autem Lector de Variantibus Lectionibus N. T. eo melius judicare possit, de earum natura & differentiâ paucis hîc differere visum est.

Primo igitur moneo, me Variantes Lectiones proprie & vere ita dictas distinguere à manifestis & certis Textûs depravationibus, sive illis Lectionibus, quas à primo libri Auctore non esse profectas liquido constat. Deinde pono (quod facile mihi concessum iri spero) ex omnibus Variantibus Lectionibus loci alicujus unam tantum necessario esse veram, sive, à primo libri Auctore profectam; reliquas vero aliunde in Textum irrepisse, & proinde tanquam spurias damnandas esse. Hinc quotiescunque de vera & archetypa loci alicujus lectione certo constat, reliquæ Codicum discrepantiæ, licet speciosæ, & ad verum proxime accedentes, non amplius pro variantibus lectionibus, sed Textûs corruptionibus habendæ sunt; sive à Scribarum errore, sive à Correctorum temeritate, sive denique à quacunque alia causa ortæ fuerint. Hinc consequitur, si hodie adhuc exstarent ipsa Apostolorum Autographa, nullas fore Lectiones Variantes proprie & vere ita dictas, quoniam tunc certo constare nobis posset, reliquorum Codd. lectiones, ab Archetypis illis discrepantes, spurias esse, & ab aliena manu in Textum illatas. Quoniam vero Autographa illa, quæ norma certissima in discernendis lectionibus veris à falsis nobis esse possent, hodie interciderunt, & proinde quænam fuerit archetypa lectio, dubitari interdum merito potest; ipsæ illæ Textûs corruptiones, de quibus ante diximus, dummodo speciem aliquam veri habeant, in Variantium Lectionum numero tantisper ponendæ erunt, dum vel ex Collatione meliorum Codd. vel ex aliis veterum Scriptorum locis, accedente insuper ingenii acumine & judicii dexteritate, lectio vera & authentica investigari, & sic lectionibus illis falsis larva veritatis detrahi possit. Dixi, dummodo speciem veri habeant; ut exciperem lectiones illas, quæ vel manifestâ contradictione laborant, vel sensum pariunt plane absurdum & ridiculum, vel ita corruptæ sunt, ut in monstrum vocis vel solœcismum degeneraverint. De talibus enim illico pronuntiari potest, eas non esse ab ipso Auctore profectas (quis enim sanæ mentis Scriptor contradictionibus, vel sententiis absurdis, vel vocabulis monstris & solœcismis orationem foedet?) & proinde absque ullo examine non pro Var. Lect. sed Textûs corruptionibus haberi debent. Id tantum hîc addo, quamdiu sententia loci depravati nondum ad liquidum perducta est, ne corruptissimas quidem lectiones penitus esse negligendas, sed illarum rationem habendam, quoniam sæpe vestigia veri in ejusmodi vocum rudibus latent.

His ita positis, quatuor Variantium Lectionum statuo genera: 1. Falso ita dictarum, sive quæ tales quidem videntur, at revera non sunt. 2. Dubiarum. 3. Vere quidem talium, sed nullius momenti. 4. Vere itidem talium, sed alicujus vel magni momenti.

Quænam sint Variantes Lectiones falso ita dictæ, ex superioribus satis patet: nimirum illæ, quas certo constat, esse Textûs depravationes. Ad hanc igitur classem non solum referendæ sunt lectiones contradictoriæ, absurdæ, &c. de quibus paulo ante diximus: sed etiam ex. gr. lectiones variantes Codicis alicujus, quem ex altero Codice, adhuc exstante, descriptum esse constat. Tunc enim cum certum sit, discrepantias Exemplaris illius ab altero, nullâ Codicis veteris auctoritate niti, sed vel ex errore Scribarum, vel Correctorum interpolatione ortas esse, Variantes quidem Lectiones censerî non debent; sed vel manifestæ Textûs depravationes; vel, si Corrector locum aliquem recte & feliciter emendaverit, idque argumentis minime dubiis probari possit, certæ emendationes appellandæ sunt. Huc etiam pertinent menda typographica Editionum; itemque discrepantiæ Lectionum, ortæ ex citationibus, quas non ex fide Codicis alicujus veteris, sed ex memoria factas esse constat: cujus generis citationes frequentes sunt apud Patres antiquos, aliosque Scriptores Ecclesiasticos, quippe qui sæpe sententiam Textûs Apostolici suis verbis reddere solent. Neque recte Variantium Lectionum

num